

Q 4120  
13

9

PAUPER TATIS  
INNOCENTIA,  
CIRCULARI ORATIONE

*Defensa,*

IN FLORENTISSIMA NORICORUM  
ACADEMIA

*d. 15. Novembr.*

ANNO *m̄s* *Γεανθρωπογίας* 1673.

*à*

MICHAELE WALTHERO,

Noriberg.

---

*ALTDORFFI*

Typis Henrici Meyeri, Univerf. Typogr.

1 6 7 4.

*Q*

*K.*



*Autoritate, Integritate & multarum rerum  
usu conspicuis & spectabilibus*

VIRIS

DN. WOLFFGANGO Schliche/

DN. GEORGIO Schubart/

DN. WILHELMO Stirn/ Pharmacopæo Nori-  
bergæ Experientissimo.

DN. WOLFFGANGO Negelein/ } Craüsiani Sti-  
DN. JOHANNI Schmid/ } pendii Executori-  
DN. BALTHASARI Mayer/ } bus Laudatissimis.

DN. BALTHASARI Kraußer/ Archigrammatéo  
Meritissimo.

*DNN. Patronis, Promotoribus, Cognatis, Fautori-  
bus suis colendis, in debita observantia notam, ulteriorisq;  
erga studia sua favoris eliciendi ergò,*

HANC ORATIUNCULAM

submissè

*dicat, dedicat, consecrat*

Michael Walther/ Norib.



PROGRAMMA.

CHRISTOPHORUS  
MOLITOR, P. P.

L. B. S. P.

**I**ndigere appetat, qui velit, verbo-  
rumq; Magnificentia Paupertatem extollat.  
Ego, ut divitias postponam honestas atque pa-  
rabiles; quamvis nullas possideam, induci ta-  
men nullo modo possum. Crediderim equi-  
dem, paupertatem esse bonæ mentis sororem;  
nisi is dixisset Stoicorum, qui discipulo suo Im-  
peratore præceptor longè ditior, splendidissi-  
mos hortos, amplissima suburbana, spaciosissi-  
mos agros, cum innumera pecuniâ possedit:  
nisi que & bona mens divitiarum Domina esse  
posset. Crediderim, quæ latinorum Princeps  
Oratorum, in suis Tusculanis, & copiosè & or-  
natè, de Paupertate disputat; nisi ipse, repudiata  
charissima uxore, sexagenarius virginem duxis-  
set divitem: ut res suas domesticas, quas nihilo

A 2

melio-

meliores, quàm Rempubicam in reditu suo offendit, emendaret, & sponsæ facultatibus se ære alieno liberaret. Cupiditatem quidem pecuniæ, eamque nimiam, & quæ viam aperiat ad mala consilia, quæ luxuria, deliciis, otio, desidiaque animum inficiat, molliatque, non probo. Unde facilè, cum Ipso, laudo Anacharsin, qui lacte, caseo & carne contentus, ampla Hannonis munera respuit: habuit namque, unde viveret. Neque ipse Socrates in pompa, cum magna vis auri ferretur, imprudenter dixisse fertur: quam multa non desidero. Habuit namque, quæ non desideraret, nec ipsi quicquam defuit, unde victum pararet, stulte deniq; concupivisset ea, quæ non potuisset impetrare. Xenocrates, Alexandri legatos, quinquaginta talenta offerentes, laudandus est, quod respuerit: sed profectò pauper non fuit, qui potuit tanti Regis legatos ad cœnam invitare, quibus apposuit tantum, quantum satis esset, ut intelligerent, se ipsum non indigere pecunia. Facile contenta esse potest hominum natura, si habeat aquam, & cibarium in casa panem. Verum cum & hominum avaritia hac præsertim tem-

tempestate tam vile nutrimentum pretio vendat, unde parabitur, si defunt numi? Anacharsis, de quo supra meminimus, lacte & caseo & carne vescebatur, sed quid fiet ei, cui, nec lac, nec caseus, nec caro in promptu, nec ob argenti penuriam parabilis est. Stultissimum denique judico Democritum, ut feliciter philosopharetur, bona sua amplissima projicientem in mare. Dignus qui balænis & piscibus objiceretur. Inclusisset in arcam divitias suas, & se earum Dominum esse nunquam meminisset, profuissent certe aliis. Atque ut jactura tantam prodigi nomen meruit, si nec nomen avari effugere potuisset, nisi depromsisset subinde necessaria. Tandem itaque sentio, neque Philosopho, ob plurima commoda pecuniam, si habere possit, nisi velit desipere, esse spernendam: neque tamen, si res & fortuna ita ferat, nisi perturbationibus & iniquis desideriis deditus esse, contraque Philosophiam facere velit, Paupertatem vitandam. Mecum facit *Crastinus Orator, Per-Eximius atq; Doctissimus* DN. *Michaël Walther* / NORIB. *humaniorum Artium atq; Philosophia Studiosus perindustrius*, qui multa cum animi ægritudine


ne paupertatem accusandam esse, non putat,  
 ejusque Innocentiam argumentis probabit.  
 Quod dum facere studet, Hora locoque con-  
 sivetis:

*Magnificum* DN. RECTOREM,  
*Illustrissimum* DN. COMITEM,  
*Excellentissimos* DNN. PROFES-  
 SORES,  
*Nobilissimos* DNN. STUDIO-  
 SOS.

Observanter atque officiosè invitamus. Et  
 quicquid ex angusto pauperis animi agello gra-  
 tiarum progerminare potest, Plautino verbo  
 repromittimus. *Dabam XV. Novembris,*  
 ANNO *M DC LXXIII.*

CUM





CUM TRINUNO DEO MEO!

MAGNIFICE DN. RECTOR,  
ILLUSTRISIME DN. COMES,  
EXCELLENTISSIMI DNN. PRO-  
FESSORES,

DNN. Patroni, ac Praeceptores Summo à  
me in honore & pretio ponendi:

UT ET

Generis Splendore, Virtutum & Eruditionis  
omnis decore,

Clarissimi DNN. STUDIOSI,

Fautores atq; Amici plurimum amandi, colendi.



T speciosâ jucunditate plerumq; fal-  
lunt, quæ nos tanti æstimamus, & cunctis lau-  
dibus ad cœlum usque extollimus: ita pul-  
chram faciem mentiuntur, quæ nos movent,  
quæ attonitos habent. Scilicet ad externa  
nos miseri sæpius convertimur, & circumfusâ opinionum  
nube, in rebus ipsis cæcutimus, circumposita rebus solum-  
modò animadvertentes. Nemo nostrum quid veri sit, quid  
appareat, excutit: nemo ad id, quo perturbatur, accedere au-  
det:

Sen. Epist.  
13.

det: nemo, detractâ larvâ, naturam & genuinam faciem per-  
scrutari satagit; sed suspicionibus laboramus, sed falsas ima-  
gines trepidamus, & sic vertimus terga, non secus ac illi, quos  
fugâ pecorum motus pulvis castris exiit. Hinc est, quod con-  
fusa & perturbata vita nos cruciet: hinc est, quod infinitæ  
curæ exerceant: hinc est, quod ad vitia aliâs proni, impetu  
trahamur. Ne longius abeam. Nonne plurimi hoc se-  
culo divitias, (quorum animus in infinitas curas perque  
has immergitur in infernum barathrum) unanimi con-  
sensu tantopere deprædicant, ut nihil penè esse, quod cum iis  
componi debeat, aut possit comparari, existiment? Nonne  
plurimi paupertatem, quâ nihil potest esse utilius, nihil ad vi-  
tia repellenda commodius, nihil homine felici dignius, ceu  
pestem quandam pertimescunt, & ad nomen illius, tantùm  
non commoventur? non absimiles fervidâ feбри detentis,  
qui salubrem à Medico potum fastidiunt: nocivum appe-  
tunt. Tantum nimirum valet infixâ opinio in aspernanda  
paupertatis præstantia, ut ei rigidulam ac subtristem fron-  
tem, & difficultates maximas, ceu perpetuas comites affingat,  
quas exaggerat & cothurnis quibusdam auget. O præseps  
temeritas! O cœca ignorantia! Ut pueri ea, quæ verè per-  
timescenda sunt, susq; deq; habent, & igni sæpius manus ad-  
movent; Inanes verò larvas ac pupas fugiunt: Sic illorum  
amentia, paupertatem, quæ non solum nihil habet, quod me-  
tuas; verum etiam securitatis omnis ac modestiæ asylum est,  
averfatur, Pernitiosas verò ac iniquas divitias, quo vis igne  
magis timendas, plurimi ducit. Hinc tantæ querelæ nostras  
circumstrepunt aures eorum, ad quos paupertas divertitur,  
hinc tam protervis convitiis eam proscindunt, & velut in  
malum, quo non majus à Deo malis immittitur, debacchan-  
tur. Sed immane quantum à vero aberrant! & næ! teme-  
rario affectuum & opinionum ausu magnam injuriæ notam  
ipsi

ipfi inurunt! Quam, hac quidem tempestate, Oratiuncula hanc meam profligare, & Paupertatis Innocentiam pro exiguis infantis mei ingenii viribus defendere conabor. Vos interim, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, splendidissimi, quam possum animi submissione obnixè rogatos volo, ut favoris vestri Zephyro dicentem, quid dicentem? balbutientem potius juvare dignemini, ut si forte in obvios navicula mea scopulos illiserit, benevolentiae vestrae remigio naufragii periculum evadat. Ne itaque longiori verborum praefatione vos demorer, ipsam contemptus hujus, qui paupertatem infestat, quod ajunt, arcem penetrare me accingo. Nemo autem vestrum erit, quin vitandum sanguine viperino pejus existimet id, quod non tantum originem pessimam sapit, sed & nobis ineffabile solet damnum inferre; sic recta ratio dicitur, ambabus ulnis amplectendum, quod & à fonte bonitatis purissimo promanat, & cum illo nostro, qui animum pacit, fructu, commodisve est conjunctum. Jam si oculos mentis suam caligine deterfos ad Paupertatis ortum, aequè ac finem elevemus, quantum boni sit ea videbimus, cum ortus illius ab optimo sit: extremum autem longissimum omnium bonorum cumulum producat. Enim verò Paupertatem non saepe importuna illa lues luxuria aut prodigalitas, non proterva hominum injuria, non fortunae novercantis saevitia, non opum, in fumum abeuntium, amissio efficiunt, sed DEUS, qui non modo summum bonum, sed bonorum omnium auctor fons ac caput, eam bonos tanquam egregio quodam munere donare consuevit. Ab eo qui mali aliquid in homines derivari credit, is totam eum naturam & summam potentiam, quae est, prodesse ac benefacere, exuere conatur. Hinc Sapiens ille: *Qua causa est diis benefaciendi? natura. Errat, si quis putat illos nocere velle vel posse, nec accipere injuriam queunt, nec facere. Primus est Deorum cultus, deos credere: deinde, reddere illis majestatem*

SENECA  
in Epistolis.

B

tem

tem suam, reddere bonitatem, sine quâ nulla majestas est. Scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, curiosi etiam singulorum. Paupertas igitur origine bona, dixi etiam sine, quia ad bonum & salutem semper directa. Eam Deus sæpè immittit, non ut pœnam decernat malitiæ atque improbitati nostræ, sed ut probet, firmet, ac ad robur nos instituat, atque virtutem, quin etiam ut frænum injiciat, si viderit ad peccandi libidinem pronos. Hanc igitur si non nostro jumento & ultrò accersitam scimus, sed à Deo immisam, nullâque culpâ nostrâ contractam, veneremur ac colamus, tanquam virtutibus amicam. Nec profecto culpa in paupertatem est rejicienda, cujus ipsi autores sumus: nonne de nobis ipsis potius conquerendum, cum non nobis paupertas sit molesta, sed nos ipsi? Sin nulli nostrum nostra culpa obvenit, sed hæreditariam habemus & à Parentibus traditam, quid indignamur? quæ nulli ex animalibus vitio datur? non sublimi aquilæ, non generoso leoni, non forti tauro, quin potius nobis gratulemur, quod unâ cum ea bonam mentem, omnium Crasorum ac Liciniorum patrimonio præstantiorem, conatam perspiciamus, qua expeditè virtutis arcem conscendere possumus. Si infortunio ad incitas redacti, quid dolemus? cum in palæstram deducatur fortunæ blanditiis enervatus animus, ad exercendas patientiæ vires. Sed regerentem quendam Antagonistam audire videor, egestatem non modo ad fœdisfima vitia impellere, sed & hoc nomine de testandam esse, quod liberalitatem principem illam virtutem impediat. Ita ne bone vir! Forsan virtutem illam non nisi magnâ auri & argenti vi exerceri posse existimas? Crasum, ne quid dicam amplius, errorem erras. Non sola χεῖματα, sed πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομισματὶ μετρεῖται liberalitatis materiam Philosophus constituit, id est, non solum res, sed fides, gratia, con-

Aristot. 4.  
Eth. cap. 1.

liberalitatis materiam Philosophus constituit, id est, non solum res, sed fides, gratia, con-

consilium, imò omnia animi & corporis bona, quæ in alios re-  
 dundare possunt, pecuniæ nomen obtinent. Et si Ciceronis *Cic. 2. Offici*  
 auctoritati aliquid tribuis, illa largitio lautior & splendidior & *cap. 15.*  
 viro forti claroq; dignior, quæ ex virtute depromitur, cum,  
 quæ fit ex re familiari, fontem Benignitatis tandem exhauriat,  
 virtute verò & industria benefici & liberales, quò pluribus  
 profuerint, eò plures ad benignè faciendum adjuutores habent.  
 Anne igitur hanc laudè paupertati detrahete audebis? Sed ob  
 id culpandam esse instas, quod careat pecunia ac divitiis, quæ  
 sanguis ac anima mortalibus esse perhibentur? Verius, si  
 peste, si malorum lerna carere dixeris. Quas enim divitiæ  
 Domino suo non moliuntur insidias? quo malorum genere  
 eum non infamant? quas curarum molestias non pariunt?  
 pallorem siquidem in vultu, timorem & anxietatem in ani-  
 mo, impetum ardentiorum in appetitu, vigiliis in oculis pro-  
 creant. Sarcinæ sunt, quæ, superas volitantes ad arces, re-  
 morantur ac impediunt. Vepres ac spinæ sunt, quæ o-  
 mnem bonam frugem suffocant. Bene Socrates: *Αἱ μὲν πο-* *Stob. serm.*  
*δῆρες ἐοδῆτες τὰ σώματα, αἱ δὲ ὑπερμετερον πειρασίαι τὰς ψυχὰς* *91.*  
*ἐμποδίζουσι.* Nemo igitur est, qui tantum malum, modo mi-  
 cam salis in mente habeat, non ad ultimos Garamantas &  
 Indos relegandum potius, quàm appetendum existimet.  
 Imò ipsa hominis natura nos docet, paupertatem præ divitiis  
 esse eligendam. Natura hominis, inquam, qui singulari Di- *Boeth. l. 2.*  
 vini Numinis dispositione ac providentia vitæ hujus callem, *de consol.*  
 ut vacuus viator, intravit, vacuus eum relinquet. Meritò igitur *sap. 5.*  
 cum Luciano ridendus, qui variis onustus sarcinis descen-  
 dere velit ad inferos, cum Charon non nisi nudum admittat.  
 Homo, cujus natura paucis contenta, pauca requirit. Mo-  
 dica admodum sunt, quæ sitis atque fames, quæ frigora po-  
 scunt, & cuivis, ad extremam quamvis inopiam redacto, ve-  
 nalia ac obvia. Non enim ex serum commercio corpora no-

*Sen. in Ep.* Istra tegi necesse est, sed à frigoris injuriâ ferarum pellibus muniri possunt. Non est, ut tecta inhabitemus auro atque ebore fulgentia, naturæ sufficit, casam rusticâ extructam manu, & furcis utrimque suspensis sulcitam, habere, & sub vili receptaculo latitare. Ventrem, non sola scarorum jecinora, non murenarum lactes, non gallorum gallinaceorum cristæ, nec renes sive nefrendes aviumque linguæ placant, sed sordidus panis, sed herbæ atque cacumina frondium explere possunt & sedare stomachi rugitum. His à natura suppeditatis beneficiis gaudebant primævi terrarum incolæ. O quam tranquillam agebant vitam! Sub dio cubantes sidera superlabebantur, tam inter diu quàm noctu eis patebat prospectus admirandæ cœlorum fabricæ. Lubebat intueri Elementorum amicam pugnam, & qualitatium in iis discordem concordiam: promiscuè fruebantur, quæ naturæ indulgentia in summo posuerat, nec nomen divitiarum erat auditum. Cum post habitis corporum deliciis impresam illam divinam imaginem, quam animo circumferebant, excolere erant solliciti. O si eadem felicitas nobis contingeret! O si semper in animo nostro volveremus, quòd Deus nos in hanc lucem venire jusserit, non ut mancipia essemus corporum nostrorum, sed ut maximam animæ curam haberemus, certè tanti divitiæ non venirent. Quid enim cœlesti animo, cum terrestrium divitiarum fece? an divinæ particula auræ inanimæ supellectilis possessione splendet? an mens Deo consimilis à rerum abjectis purgamentis decorem mendicabit? Minimè vero gentium! Nemo igitur dubitet cuncta bona in animi cultu ponere, & honestam paupertatem profiteri. Sed altius provehor, & ad utilitates Paupertatis enucleandas progredior. At nemo mente assequi, nemo verborum lenocinio eas complecti valet. Hæc illa est, quæ in virtutis gymnasium nos deducit, & ad res præclaras obcundas

das

das animat. Populus Romanus id confirmare poterit, cuius *Petrarch.*  
 virtus in opum affluentia frigans, in paupertate semper sese *dial. 8.*  
 exerebat. Tamdiu enim clarus, tamdiu justus atque inno-  
 cens, quamdiu cum paupertate conflictabatur. In egestate  
 fuit victor gentium, & quod gloriosius, victor sui, domitorque  
 vitiorum, à divitiis vero fractus atque perfundatus. Hæc est  
 illa bonæ mentis soror, quæ inertiam omnem excutit, atque  
 calcar diligentiae addit, quæ omnes artes perdocet, hæc est.  
 Sæpè divina ingenia otio torpescerent, nisi, ut laboribus ac  
 studiis asvescerent, paupertate cogerentur. Hac urgente  
 Cleanthes alter ille Hercules, quos labores, quas vigilias, quæ  
 incommoda perpesus est? Ex puteis ad irrigandos Athe-  
 nensium hortos agrosve noctu aquam hauriebat, quâ mer-  
 cede, studiis liberalibus interdum vacare possit. Ea demum,  
 quæ à Zenone Præceptore suo memoria conceperat, boum  
 ossibus ac testis fictilibus inscribere solebat, cum pecunia  
 ad emendam papyrum non suppeteret. Et ne de re tam ma-  
 nifesta plura disseram, quis nescit, in omni vitæ ac dignitatis  
 genere, quosvis virtutum ac sapientiae purpura illustres Viros  
 paupertate concitatos fuisse, ut nomina ab æterno oblivionis  
 tumultu vindicarent, ac seræ posteritati consecrarent. Hæc  
 est fomes pietatis, ut cum alii se in liberum peccandi campum  
 effundunt, fræno hoc pauper coerceatur. Hæc ad tempe- *Junim.*  
 rantiam conducit, utpote quæ prandio statario, cœnâ pau-  
 pertinâ, rancido lardo, putribus & vermiculatis caseis, potu  
 frigida contentos nos esse jubet. Hinc eam Arcesilaus bo- *Stob. serm.*  
 nam prolis nutricem nuncupat, ut quæ asvesfaciat frugalitati <sup>93.</sup>  
 & abstinentiæ. Hæc est modestiæ comes, amat verborum  
 submissionem, evitat omnem ostentationem, & quicquid fa-  
 ustum sapit; & si divites dictu nefanda effræno ore effutiunt,  
 pauperes rubore perfunduntur. Quid autem superbiæ sti-  
 mulis resistit? Paupertas. Quid cupiditates immodicas, qui-  
 bus

B 3

bus

bus nobis ipsis fumus infesti, fracto impetu exarmat? Pauper-  
 ras. Quid auiditatem frustratur? Paupertas. Quid cœtera  
 mala, iram, audaciam, timorem, invidiam alimentis suis de-  
 stituit? Paupertas. Hâc desiderium voluptatum suam apud  
 nos dediscit pertinaciam. Hâc superflua instrumenta luxu-  
 riæ refecantur, quemadmodum feris mansvescere idoneis  
 dentes & unguium aciem detrahimus, ne, si forsitan priorem  
 feritatem resumerent, facile possint lædere. Hâc avaritiæ  
 & prodigalitati noxa profligatur, quæ non nisi locupletum  
 limina obsidet. Et quid hisce commodis longius immoror,  
 ob id solum omnibus rebus erit anteponenda, quod eâ vitam  
 verè tranquillam ac beatam, ad quam uno impetu omnes an-  
 helamus, & actiones nostras, tanquam ad ultimum dirigi-  
 mus finem, assequimur. Hæc sola est, quæ placidas sine su-  
 spiriis noctes atque dies transigit, quæ non movetur & ar-  
 morum sonitu, & tubarum clangore, & militum clamori-  
 bus, & latronum sævitiâ, quæ nuda coram latrone saltat.  
 Et quando

*Sen. Octa-  
 via Act. 4.*

--- --- ---  
*quatiunt alta sæpè procellæ  
 aut evertit fortuna domos:  
 bene paupertas,  
 humili tecto contenta latet.*

*Plut. in  
 Lac. Apoph.*

Hinc Lycurgus civibus quibusdam ex eo percontantibus,  
 qui hostium insultus & gravia curarum onera eludere pos-  
 sint? hoc responsi dedit, si pauperes fueritis, nec alius alio  
 plus appetat. Sed ad opulentos & onustos prædæ spes in-  
 vitat hostem: nec facile potest elabi, qui sarcinis & impe-  
 dimentis retardatur. Pauperes verò ab hostium incurfu tuti  
 eritis. Quid? quod hanc civilem felicitatem multis paraſan-  
 gis vincit: pauperes enim Christus vitæ æternæ alumnis ad-  
 judicat: quando, Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam  
 ipſorum est regnum cœlorum. Sed ô splendida miseria di-  
 vitum!

*Matth. 5.*

vitum!



vitum! O purpura infinitis curis ac sollicitudinibus, inquietaque tyrannide referta! Ut enim externa illorum hominum incommoda ac pericula sicco pede transeam, intus timent, anguntur, circumspiciunt domorum incendia, furum infidias, neq; aliis profunt, neq; sibi, sed exanimi & inutili auro incubant & pervigiles & insomnes. Quis igitur vitio vertet Anacreonti, quod Polycrati, Samiorum Tyranno, quinq; <sup>91.</sup> talenta, quibus ab eo fuit donatus, in sinum, biduo elapso, re-  
fuderit, his verbis: Tuas tibi, ô Rex, ærumnosas pecunias habe, nolo diutius iis cruciari. Nam cum eas possideret, dies noctesque juxta anxias habebat, nec cibum nec somnum capere poterat, & si fesso fortè sopor brevis obrepisset, curis expergefactus vitæ periculum ob eas sibi imminere putabat. An leve alicui tormentum videtur, perpetuò enecari? Hoc adeò divitibus proprium est, ut quamvis Orientem æque ac Occidentem animo devorent, sitim tamen hydropicorum more explere nequeant. En! Exemplum (ut sexcenta alia <sup>Volaterr. lib. 8.</sup> taceam) in proscenium adducam unicum. Alexander M. <sup>Et Alian. l. 4. c. 29.</sup> universi pene terrarum orbis Domitor, qui majorem auri acervum, quam ut numerandus esset, plures provincias atque regna, quam quis alius peragrare posset, Anaxagoram Philosophum, plures mundos asseverantem, audiens lachrymas profudit acerbissimas. Satellites in Rege suo subitam commotionem mirantur, ac quid dolore dignum ei accidisset, quærunt: Quibus Alexander: Heu me miserum! cum mundi sint innumerabiles, ne uno quidem adhuc sum potitus. Sed plora, ingemisce, lachrymare, sanæ mentis homines Te flentem ridebunt, alii seriò tuam amentiam deplorare jubebunt. Tantum in Te, qui multarum regionum ac terrarum victor exstitisti gloriosus, vanum humani cerebri commentum potuit? O vel Iro infelicio! O Hercule pauperior! Quis enim mendicum quendam astantem his nugis commo-  
veri

veri credat? dira ac dura mala sint, oportet, quæ ipsi veras lacrimas extorquere velint. Hanc miseriam auget divitum improbitas. Quis enim nescit, divites flagitiosos insigni præmio proposito fas omne abrumpere, & ut auro potiantur, vi Polydorum obruncare? Quis nescit, divitias odia internecina in propinquorum etiam animis excitare, fovere, accendere? Invitet quis fidos fratres, invitet concordēs amicos ad convivium, dehinc, non dicam, pomum aureum, sed pomi frustulum projiciat, seria jocique omittentur, fides desistet, discordia orietur, armati armatis insurgent. Has malorum syrtes prævidit provida natura, hinc in rerum primordiis aurum argentumque intra se recepit, & ne effoderentur, toto corpore incubuit. O ferreum seculum, neque unquam vitiorum ac scelerum feracius, quàm quo viscera terræ sunt penetrata, ad effodiendas reluctante natura opes, irritamenta malorum! Nunc enim in civium plateis impia, & ex orco producta vox circumquaque sonat:

*Hor. in ep.*

*O cives, cives quarenda pecunia primum.*

*Virtus post nummos.*

Et illa altera paulò malignior:

*Vende animam lucro mercare atq; excute solers.*

*Omne latus mundi.*

Quidn̄ igitur Christus omnibus copiis cum vitiorum multitudine abundantes, esse regno cælorum extorres pronunciet, & facilius esse ostendat, ut camelus transeat per foramen acus, quam dives in regnum Dei? Sed quo divitiarum iniquitas? Quo indignationis æstus me rapit? ad scopum redeundum, & commoda, paupertati adjuncta, explicanda. Ea verò tanta sunt, tam infinita, ut nulla linguæ facundia ea assequi queam. Quam enim jucunda est paupertas? Quam amœna? Quam magnanima? Hinc ille dolii inhabitator Diogenes in gurgustioli sui angustia quam jucundè, quam auguste

gustè degebat? Hunc cum Alexander M. invisit laceras schedas glutino comittentem, ut ab eo aliquid peteret, admonuit. Quid ille? à sole, inquit, absis. Offecerat videlicet apricanti. Is etiam tam generoso fuit animo, ut Persarum Regum voluptates respueret, & nihil sibi deesse jactaret. Quam securo? Nullam metuit inconstantiae & mutationis aleam, nullum ingruentium malorum cuneum veretur, omnes vulgi morsus & insulsa judicia eludit, invidiam, damna, suspiciones, insidias mille, nauseam & podagram, divitum hospitem, arcet. Quam penè necessaria? cum optima mens indulgentia ac blanditiis fortunæ in deterius ruat, & vitiorum vertigine circumgyretur. Quam honesta est? adeò, ut, si quis maxima scelera ex omni memoria hominum recenset, nullum inter scelerum authores pauperem inveniat, sed est apud Græcos, teste Apulejo, in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Sola, sola hæc reddit Philosophum, verè, non simulatè, philosophantem. Ponite vobis ante oculos, Auditores, omnium venerandæ Antiquitatis Philosophorum prodigia, ut ille loquitur, & monstra, sapientiæ scilicet studio Illustres viros, nonne eos paupertas ab incunabulis enutrivit? Miramur utique Delphicum illum Deum Socratem, quo nullus unquam, vel ipso Apollinis effato, extitit sapientior, at ille divitiis algâ viliores pendens, nudis pedibus incedebat, sordido pallio tegebatur. Obstupescimus Apem illam Atticam, & Oratorum Græcorum Principem ac Coryphæum, Demosthenem, at patrem habuisse cultrorum venditorem, memoria proditum est. Nihil dicam de Democrito, Fabricio, Anacharsi, & sexcentis aliis, qui, neglectis divitiis, ad summum famæ & laudis fastigium asurrexere, qui que veram gloriam non in opibus & Pluti spoliis posuerunt. Ut ita, Xenophonte arbitro, Paupertas per se docta Philo-

*Cic. Tusc.  
quæst. l. 5.  
p. m. 246.*

*Apul. in  
Apol.*

C


phia

phia audiat, cùm, quæ hæc verbo svadeat, illa opere cogat. Quam salutaris? est enim medicina corporis nostri. Ut homo valetudine tùm demum integrâ gaudet, si vitiosi humores & cacoethes ventris fuerint depulsa, si virulentus sanguis emissus; ita animi valetudo tunc erit benè constituta, si paupertatis pharmaco vitiorum virus decoquatur. Hæc insuper docet veram juris & justitiæ prudentiam. Hæc docet exorbitantes affectuum seditiones rationis moderamine coërcere, hæc, reciso aut correcto effrænis naturæ impetu, ad sanam utilemque virtutem adigit. Hæc docet Theologiam, & animum, opum terrestrium inquinamento vacuum, in libertatem vindicat cœlestis commercii. Hæc cum ita sint, quid, vos divites, cristas erigitis? quid supercilia tollitis? quid pauperes folio despicitis? cum hi vobis longè sint meliores, feliciores. Cum enim Paupertas sit bonæ mentis soror, virtutum Rectrix, diligentiaæ stimulus, pietatis fomes, temperantiæ mater, modestiæ comes, omnium denique vitiorum propulsatrix, præ divitiis meritò erit expetenda. Ne igitur, Vos, quos res angusta domi vexat, animum despondeatis, sed vestra sorte contenti vivatis, sic tranquillitatis aurâ semper fruimini, & tandem, emenso vitæ hujus curriculo, ad æternæ illius beatitudinis portum pervenietis.

D I X I.



Ad



✿ I. ✿

Ad

*Præstantissimum atq; Doctissimum*

**DN. MICHAELEM WALTHERUM,**

*Affinem suum peramandum, de Paupertatis  
innocentiâ perorantem.*

**O**mnibus ille modis miser est, qui pauper, egensq;  
Comicus ut statuit cum pascatoribus Umber,  
Quis satis expertus mala paupertatis acerba:

*At Sapiens aliter Romanus judicat, illum  
Felicem dicens, qui gnarus pauperie uti.  
Hoc, WALTHERE, etiam propugnas, commoda multa  
Innocua paupertatis non paupere venâ  
Ingenii referens, verbisq; ac ore disertis.*

*Et quidni? Quoniam Fortuna volubilis errat,  
Ex Cræso faciens mox lro pauperiorem,  
Cur non, qui didicit contentus vivere parvo,  
Dicendus meritò, quia fert presentia, felix?*

*Ita calculum suum argumento Ora-  
tionis adjecit LMq; cum voto ul-  
terioris studiorum profectûs*

**Jacobus Pancratius Bruno,**  
Phil. & Med. D. hujusq; Prof. P.

✿ II. ✿

**Q**uòd, WALTHERE, petis, scribam ut Tibi carmina,  
miror:

*arida cum nôris quòd mihi vena fiet.  
Et sanè, innocua de paupertate perorans,  
fat loqueris dotes ingenii ipse Tuas.*

Augu-

*Rudens.  
a. 2. f. 1.*

*Seneca pas-  
sim in epist.*

Auguror hinc: Veluti punctum tunc omne tulisti;  
Gloria sic olim surget, honosq; , Tibi.

*Eximio DN. MICH. WALTHERO,  
Amico per dilecto, gratulabundus  
hec apposuit*

Georg. Guilhelm. Böhmer/  
Patt. Rasch. & Vic. Altorf.

III.

**P** Auperis innocui sudas depingere nobis  
Subtristem vultam fertiliore stylô.  
Laudo conatum: plures post pergito fructus  
Promere, sic nomen tempus in omne cluet.

*Ita  
Properante crenâ  
Pra-eximio, atq; Literatissimo  
DN. AUCTORI,  
amico suo edecumato gratulari  
voluit*

Georgius Schultheiß/Norimb.  
SS. Theol. Cultor.

IV.

**N** Il vos mirabor, improbæ pecuniæ,  
procul meis migrate postibus, procul,  
ô fluxa res, nubique quàm simillima!  
Adoro, Paupertas, tuam innocentiam,  
Cui sæpius sub sordida lacernula  
datur latere. O Diva, cælo proxima,  
Tu divites verè, & beatos efficis!  
WALTHERE, Te, Tuosque conatûs probo,  
quòd ritè Paupertatis innocentiam,  
Laudesque, venâ prædicas sat divite.  
Quis inde Te non in Tua penuria,  
ipsaque paupertate dicat divitem?

*Præstantissimo  
DN. ORATORI,  
Amico honoratissimo, gratulabundus  
subscripsit*

Martinus Herbst.








Aa 884

ULB Halle

3


001 537 369




Sb.

VD 77







Q 4120  
AB 9

PAUPER TATIS  
INNOCENTIA,  
CIRCULARI ORATIONE

*Defensa,*  
IN FLORENTISSIMA NORICORUM  
ACADEMIA

*d. 15. Novembr.*  
ANNO *m̄s* *θεαυρωπορονίας* 1673.

*à*  
MICHAELE WALTHERO,  
Noriberg.

---

ALTDORFFI  
Typis Henrici Meyeri, Univerf. Typogr.  
1674.  
K.

